

solum debet esse honesta, justa, et possibilis sed etiam « secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, » ut notatur can. 2, dist. 4. Unde si ob suum rigorem talis non sit, haud immerito præsumi poterit, quod princeps non intendat absolute populum obligare, sed potius probare.

149. *Nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus; quod varie exemplificatur.* — Quamvis autem de rigore juris, et nisi lex sit manifeste injusta, licet dura, videatur recurrendum ad remedium supplicationis, ut dictum, ac notat citatus Suarez, idque pro foro externo moraliter sit necessarium, ne leges a populo passim, et propemodum libere respiciantur, ob præsumptum earumdem rigorem, vel alias causas, a parte rei sæpe non subsistentes: et sic lata porta aperiatur scandalis, tumultibus, et seditionibus, in gravissimam reipublicæ perniciem. Nihilominus loquendo pro foro conscientie, ac cessantibus memoratis incommodis, satis probabile est, non peccaturos illos, qui etiam non porrecta principi supplicatione ex tam rationabili causa non acceptarunt, neque observarunt legem publicatam: ut innuunt citati doctores, atque concluditur ex allegata, et rationabiliter præsumpta principis voluntate, quod noluerit illico populum tam graviter obligare, sed solummodo sensum ipsius antea probare.

150. *Nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus; quod varie exemplificatur.* — Deinde id ipsum dicendum est, atque excusatur populus non statim recipiens legem, quando subest alia rationabilis causa a principe verisimiliter ignorata: nam ea, quæ sunt facti, atque in facto consistunt, v. g. speciales locorum ac personarum singularium consuetudines, et statuta, etiam princeps ignorare potest; nec censetur istis per legem generaliter latam derogare velle, nisi id exprimat, cap. 1. h. t. in 6.

151. *Præsertim in eo, qui legem a majori parte communitatis non servatam nec ipse observat.* — Insuper, quamvis lex cæteroquin justa, et rite promulgata, quantum est de se, ac spectata sua natura, illico habeat vim obligandi omnes et singulos subditos; tamen quod ad praxim attinet, peccati alicujus damnandi non sunt, neque puniendi singuli de communitate, si legem, quam major pars communitatis de facto non servat, nec recipit, ipsi quoque non observent. Ratio est:

quia lex est commune præceptum, L. 1. ff. *de Legib.* sicque primo respicit, atque obligat communitatem; ergo, si non observetur, nec recipiatur a communitate, vel saltem majori parte ejus, non censetur amplius legislator velle obligare unum vel alterum dumtaxat ad ejus observantiam: nam in iis, quæ respiciunt communitatem, attenditur major pars illius, non autem pars minor, neque unus vel alter privatus homo illius communitatis. Felinus in cap. 1, n. 11. § *Limitata secundo. de Treuga et pace.* Navarrus, consil. 1, n. 24, *de Constitut.*; Suarezius, cit. cap. XIX, n. 13; Pirhing h. t. n. 46, Layman, lib. I. tract. IV, cap. IV, n. 3. hoc exemplificans de lege pontificia, si quam in sua diocesi neque promulgatam, neque a communitate usu receptam, aliqui etiam particulares non observent; et alii.

## § VII.

## DE OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM IN GENERE, AC FUNDATARUM IN PRÆSUMPTIONE.

152. *Leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles obligant iudices in conscientia ad judicandum juxta earum præscriptum.* — Quæritur I. Utrum leges humanæ cæteroquin justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligent in conscientia? Resp. I. Certum est, hujusmodi leges ita obligare in propriis territorii, ut iudices in conscientia teneantur ipsas observare in judiciis, et juxta earum præscriptum causas examinare, atque sententialiter decidere. Ad hoc quippe tenentur iudices vi officii sui, can. *Judices.* 3, q. 7, et can. *Summopere.* 11, q. 3. et l. *Rem non novam C. de Judiciis.* Unde imperator tum in præmio *Digestorum*, tum in L. un. C. *de Emendat. codic.* repetita jussione mandat, ut in omnibus rebus, et judiciis, juxta leges in *Digestis, Institutionibus, et Codice* a se emendato, et confirmato, contentas ubique procedatur. Et merito; tum quia « parum est jura condere, nisi sit, qui eadem tueatur, » c. *Ubi periculum.* 3. § *Præterea. de Elect.* in 6. Atque « executioni debitæ demandet, » cap. un. §, *Et quoniam. de Statu regular.* in 6; tum quia « Judex dictus est, quasi jus dicens populo, can. *Justum.* 23, q. 2. Et si secus egerit, omniaque pro libitu neglecta legum auctoritate definat, erit *Judex iniquitatis*; prout appellatur a Christo Domino, Lucæ cap. XVIII, 6. utpote *judicans judicia injus-*

ta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, Daniel, cap. XIII, 53. Quin et indignus erit, qui judex nuncupetur: « Non est enim judex, si non est in eo justitia. » d. can. *Justum.* 23, q. 2.

153. *Et dum absolute præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant subditos in conscientia.* — Resp. II. Leges humanæ, non solum ecclesiasticæ, sed etiam civiles, possunt obligare in conscientia; et dum quidpiam absolute præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant subditos in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. Ita unanimis doctorum. Ratio est, quia juxta quartum præceptum Decalogi, et quidem ipso lumine naturali notum, tenemur obedire non solum parentibus, sed etiam legitimis superioribus nostris juxta præcipiendum; utpote quibus omnibus tenemur exhibere et reverentiam, et obedientiam. Unde can. *Quo jure.* dist. 8. dicitur: « Ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi, Deus distribuit humano generi. » Concordat textus in can. *Si imperator.* dist. 96. et can. ult. 16, q. 3. ubi dicitur « venerandæ Romanæ leges divinitus per ora priorum principum promulgatæ. » Atque ideo « generale pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis, » ut loquitur sanctus Augustinus, lib. III *Confess.* cap. VIII, ac refertur can. *Quæ contra.* dist. 8.

154. *Expenditur dictum divi Pauli ad Rom. cap. XIII. — Accedit illud divi Apostoli, Rom. cap. XIII, 1, dicentis: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Et mox infra v. 5. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nota ly, *propter conscientiam*: id est, subditi estote, non solum metu pœnarum, sed etiam ne peccetis. Ex quo clarum fit leges humanas cæteroquin justas, dum quidpiam absolute præcipiunt, vel prohibent, obligare in conscientia; nec minus ac alia legitima præcepta superiorum.

155. *Unde leges principum sæcularium præsertim gentilium, habeant obligare in conscientia, cum in ordine ad hanc ab eis non ferentur.* — Dices: Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, arg. cap. ult. *de Præbend.* juncta l. *Non omnis ff. de Rebus credit.* Atqui intentio legislatorum sæcularium, præsertim gentilium, non fuit leges ferre in ordine ad conscientiam, sed tantum in ordine ad externum statum politicum, bene

et pacifice gubernandum; ergo eorum leges non obligant in conscientia. Resp. hoc procedere, quando legislator exprimit se nolle obligare in conscientia, ut fit in legibus mere pœnalibus; secus, quando absolute præcipit: tunc enim duplex intervenit intentio, una legislatoris primarii, videlicet Dei ter. Opt. Max. jubentis observari justas leges superiorum: altera legislatoris secundarii, qui est princeps, vel magistratus sæcularis. Licet igitur leges civiles non semper obligent in conscientia ex intentione legislatoris secundarii, ut liquet in gentilibus, lumine veræ fidei destitutis, eadem nihilominus obligant ex intentione legislatoris primarii, præcipientis custodiri leges justas superiorum, quidpiam rite præcipientium.

156. *Earum vis obligandi non oritur ex sola lege divina.* — Nec dicas hinc sequi, quod vis obligandi oriatur ex sola lege divina, sicque re penitus considerata leges humanæ civiles non obligent in conscientia. Resp. enim, neg. seqq. Quia licet vis obligandi in conscientia legum humanarum oriatur a lege naturali et divina, veluti a causa universali et remota: nihilominus eadem vis obligandi in conscientia oritur pariter a lege humana, tanquam a causa particulari et proxima: eo quod immediate, ac proxime, per legem humanam fiat, ut subditus teneatur hoc vel illud facere, seu omittere, ad quod non teneretur, nisi id per legem humanam fuisset determinatum et injunctum.

157. *Solvitur alia instantia.* — Urgebis: Potestas civilis non potest infligere pœnam mortis æternæ; ergo nec sub ea, sive sub peccato mortali, quidpiam præcipere. Probatur consequent. Quia nemo potest obligare sub pœna, quam infligere non potest; alioquin enim lex foret inutilis. Resp. neg. consequent, cum sua probatione: nam satis est, quod pœna mortis æternæ infligi possit, atque transgressoribus impœnitentibus infligatur a Deo justo iudice, utpote cujus præceptum, de observandis justis superiorum legibus positum, simul violatur; et a quo principaliter, saltem mediate, provenit potestas legislativa civilis, juxta illud divi Apostoli, Rom. XIII, 1 et 2, *Non est potestas, nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

158. *Lex consilii regulariter non est obligatoria.* — Additur notanter in conclusione n. 153. posita, « Dum quidpiam absolute præcipiunt vel prohibent. » Nam secus dicendum



de illis legibus, et constitutionibus, quæ simpliciter consulunt, vel adhortantur: quia lex consilii regulariter non est obligatoria, ut can. *Quisquis* 14; q. 1, ibi: «Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis.» juncta l. *Ob hæc verba* ff. *De his qui notantur infam.*: ibi: «Non enim qui exhortatur, mandatoris opera fungitur.» Et idem dicendum de illis legibus, quæ directe quidpiam permittunt: quamvis, dum aliquid permittunt faciendum, simul indirecte præcipiant iudicibus aliisque, ne illud facientes impediunt, vel molestent.

159. *Fallit hoc in tribus casibus.* — Fatendum nihilominus, quod lex consilii in tribus casibus obliget. Primo, quando accedit votum de servandò consilio: ut fit in religiosis, voto solemniter adstringentibus ad observanda tria consilia evangelica; c. *Cum ad monasterium, de Statu monach.* quanquam hi voventes non obligentur vi canonis consulentis, sed ex vi voti sui. Secundo, et magis ad propositum, obligat lex consilii, ne contemnatur, can. *Quis autem, dist. 10.* Tertiò obligat, quando lex continet consilium reverentiæ, arg. c. *Ad aures*, juncta Glossa y. *Consil. de Aetat. et qualit. præficiend.* et c. *Mattheus. 23. de Simonia*, cum similibus.

160. *Consilium reverentiæ, cui necessario parendum est, quid?* — Dicitur autem «Consilium reverentiæ,» quando materia consilii ex se est necessitativa, sed lex ob reverentiam ejus, cui loquitur, utitur verbo consultativo, et non præceptivo: prout fit in iuribus proxime citatis, ac etiam in Clem. 1, *de Testib.*; ibi: «Reges et principes in Domino exhortamur.» Ubi Glossa inquit, quod licet hæc exhortatio videatur consilium, est tamen reverentiæ, cui necessario parendum est; et alibi. Abbas in c. *Canonum statuta*, num. 4. et Fagnanus, ibid. nu. 97. h. t. cum aliis, qui proinde distinguunt inter consilium perfectionis, quod non obligat sub peccato, et inter consilium reverentiæ, quod obligat. (ADNOTATIO XVIII.)

161. *Limitatur conclusio in duobus casibus.* — Additur ulterius d. n. 153: «Regulariter obligant.» Nam imprimis istud est limitandum in legibus mere pœnalibus, de quibus ex professo dicitur § IX. Deinde id ipsum fallit in legibus illis, quæ fundantur in præsumptione, et illud, quod lex præsumit, hic et nunc in rei veritate non subest. Quod ut melius intelligatur

162. *Præsumptio ac lex in præsumptione fundatur, quid?* — Queritur II. An, et quomodo lex, quæ fundatur in præsumptione, sit obligatoria? Ubi notandum, quod *præsumptio* generatim loquendo sit rationabilis conjectura rei dubiæ, collecta ex argumentis et indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt; prout amplius lib. II. tit. XXIII, *de Præsumptionibus*, dicitur. Itaque «lex in præsumptione fundata» dicitur ea, quæ, cum ipsa rerum veritas ob defectum probationum semper in iudiciis cognosci non possit, ex ejusmodi argumentis atque indiciis quidpiam præsumit, seu factum esse censet; adeo ut ex tali præsumptione, præsertim violenta, procedatur in causa, atque etiam feratur sententia diffinitiva, ut liquet ex cap. 1 et 2 et seqq. *de Præsumption.* Quia igitur accidere potest, et quandoque accidit, ut ejusmodi indicia fallant, et illud, quod lex præsumit, a parte rei non subsit. Quæstio remanet, quomodo obligent leges fundatæ in præsumptione, sicut et sententia judicialis juxta præscriptum talium legum lata?

163. *Judices tenentur in judicando procedere secundum leges in præsumptione fundatas.* — Resp. I. Leges in præsumptione fundatæ obligant imprimis iudices, ut in causis discutendis, ferendisque sententiis eisdem sese accommodare teneantur. Patet hoc ex dictis n. 152, simulque ex eo, quia iudex in judicando tenetur judicare secundum allegata et probata l. *Illicitas. 6. § Veritas, ff. de Offic. præsid.* cum similibus.

164. *Solvitur instantia: Præsumptio cedit veritati, quomodo? legis præsumptio habetur pro veritate.* — Dices: Potest contingere, quod præsumptio illa, in qua lex se fundat, a parte rei non verificetur; ergo tunc ejusmodi legem iudex in judicando non tenetur sequi. Resp. hoc solum procedere, quando iudici aliunde constat de veritate, ut puta ex propria confessione, aut per legitimas probationes; nam tunc præsumptio cedit veritati, prout desumitur ex l. *Imperatores. ff. de Probationib.* Secus quando de veritate aliunde constare nequit: tunc enim ad præcavendum pluribus hominum fallaciis, procurandumque commune bonum reipublicæ, merito leges ob defectum, vel difficultatem aliarum probationum, in præsumptione sese fundare possunt, quas proinde iudex in judicandò sequi tenebitur; eo præsertim, quod etiam præsumptio sit species quædam probationis tot. tit. *De Præsumptionibus.* Quinimo legis

præsumptio pro veritate habetur. Menochius *de Præsumpt.* lib. V. præsumpt. 41, n. 17, Jason in l. *Licet imperator*, n. 8, ff. *de Legat. I.* ubi ex textu, et Glossa, fin. ibid. probat, quod «præsumptiones legum dicuntur liquidissimæ probationes;» card. Tusehus litt. B. concl. 611, n. 1, post Abbatem et alios.

165. *Leges in præsumptione fundatæ, non sunt injustæ, licet præsumptio quandoque fallat.* — Quod si urgeas: Præsumptio non raro fallit; ergo leges in præsumptione fundatæ, una cum sententia judiciali inde procedente, videntur reprobandæ tanquam injustæ, ac falsitati patrocinant. Resp. neg. consequent. Licet enim ejusmodi leges, una cum sententia judiciali inde sequente, pro uno vel altero particulari casu, ob defectum veritatis præsumptæ materialiter injustæ esse possint (nam sæpe non jus deficit, sed probatio I. *Duo sunt. ff. de Testamentor. tutel.*) formaliter tamen, et in genere sunt justæ; cum deserviant ad præcavendum innumeris fraudibus, et malitiis perversorum hominum, cæteroquin liberius negantium ea, quæ sunt difficilius probationis; sicque juvent ad conservandum tranquillum statum, communeque bonum reipublicæ.

166. *Leges fundatæ in præsumptione, quæ a parte rei verificatur, obligant subditos in conscientia.* — Resp. II. Leges, quæ fundantur in præsumptione, obligant etiam subditos, et quidem in foro conscientiæ, quando id, quod lex præsumit, in rei veritate subest: alioquin vero, si illud, quod lex præsumit, a parte rei non subsit, non tenetur subditus legi, in præsumptione hic et nunc a parte rei falsa fundatæ, in foro conscientiæ sese conformare, nisi propter scandalum. Declaratur, et probatur conclusio per singulas partes: et quidem

167. *Leges fundatæ in præsumptione, quæ a parte rei verificatur, obligant subditos in conscientia.* — Prima pars conclusionis est indubitata: et patet ex ipsamet jurisdictione, ac potestate legislativa, quam habent legislatores in subditos, juxta dicta num. 153 et seqq. Accedit, quod quando id, quod lex præsumit, a parte rei subest, alia probatione in ordine ad forum conscientiæ, utpote talem veritatem cognoscentis, opus non sit. In dubio insuper obediendum esse superioribus, ac proinde etiam legi, vel iudici præcipienti, notum est, can. *Quid culpatur. 23. q. 1.*

168. *An idem dicendum, si id, quod lex præ-*

sumit, hic et nunc non subsit? Refertur sententia affirmativa. — Altera pars non caret difficultate: nam Federicus de Senis, consil. 21. pluribus pro et contra allegatis rationibus (quarum aliquæ in progressu adducuntur), tandem loquendo de legibus in præsumptione fundatis, concludit, quod lex humana «manifestam non continens iniquitatem obliget in foro conscientiæ.» Item tenet Fagnanus in c. *Si quis*, num. 69 et 70, *de Regularib.* dicens, quod quando ex observantia constitutionis nullum in foro animæ resultat peccatum, seu iniquitas, tunc juris fictiones, ac præsumptiones habeant locum etiam in foro conscientiæ. Et quidem

169. *Ea suadetur pluribus rationibus.* — Hæc Federici, et Fagnani sententia, suadetur ex iuribus, n. 153 et 154 jam allegatis, quibus habetur leges humanas esse a Deo per imperatores, et reges humano generi distributas, et divinitus promulgatas; eumque, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere: ergo, quando tales leges, quin et sententiæ judicialis conformiter ipsis latæ, possunt servari absque peccato, non est dubium (inquit Federicus) ea servari debere. Accedit, quod eæ opiniones sint vitandæ, quæ perplexitatem quia ac intricacionem inducunt, c. *Litteras. § Nos autem. de Restit. spoliat.* vel laqueum injiciunt conscientiis, can. *de Viduis. 27. q. 1.* Atqui talis perplexitas, et intricatio, oriretur ex opposita sententia: nam ex una parte leges communes in præsumptione fundatæ, ipsumque forum externum juxta eas procedens, dicerent, «Tu teneris solvere:» ex altera vero parte, juxta oppositam sententiam forum internum, seu conscientiæ, posset dicere, ac diceret, «Præsumptio illa legis hic et nunc est falsa, unde in foro animæ et divino nihil teneris solvere. Defendete, quantum melius potes,» etc.; ergo. Confirmatur ulterius hæc sententia: quia leges ob favorem publicum possunt disponere de bonis privatorum; ergo hoc ipsum dici oportet de legibus illis, quæ ex juris præsumptione quidpiam disponunt. Antecedens patet ex can. *Quo jure, dist. 8.* et l. *Ex hoc jure. ff. de Justit. et jur.* ac l. *Lucius, ff. de Evictionib.* cum similibus; et tradit Abbas in c. *Quæ in ecclesiarum, n. 11.* et ibi Felinus, n. 27. et Fagnanus, n. 149, *de Constitut.* cum aliis; atque amplius probant leges de præscriptionibus, quæ in utroque jure sunt receptæ, et obligant etiam in foro conscientiæ. His tamen non obstantibus,



170. *Negativa sententia præfertur, atque probatur.* — Probatur altera pars nostræ conclusionis ex illo communiter recepto axioma, « Præsumptio cedit veritati. » l. *Imperatores*, ff. de *Probation.*; ibi. « Respondi veritati locum superfore : » ergo mens legislatorum nunquam fuit per leges in præsumptione fundatas quidpiam disponere contra veritatem; adeo ut hac cognita, v. g. per propriam confessionem, aut alias legitimas probationes, etiam in foro externo non amplius procedant, multo minus in foro interno, seu conscientie, ubi talis veritas est manifesta; nam, ut divus Apostolus II. *Corinth.* 1, 12, inquit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ, accedit, quod talibus, præsumptione a parte rei falsa infestatis, non deficiat jus, sed solum probatio, arg. l. Duo sunt.* ff. de *Testament. tutel.*; ergo dici non poterit mentem legum in præsumptione fundatarum fuisse, jus suum etiam cognita veritate (prout hic et nunc cognoscitur pro foro conscientie) cuiquam adimere velle; nam jus suum unicuique tribuere, pertinet ad tria juris præcepta § *Juris Instit. de Just. et jur.* illis verbis expressa: « Juris præcepta sunt hæc: Honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. »

171. *Ac pro ipsa plures citantur auctores.* — Atque ideo quod lex, et sententia judicis secundum leges judicantis, si est justa in foro externo, sit etiam justa in foro conscientie, nisi innitatur falsæ præsumptioni, tradit Sanchez, lib. I. in *Decalog.* cap. x, n. 11, post Baldum, Auth. *Ingressi*, n. 49, C. de *Sacris eccles.*; Navarrum in can. *Si quis autem*, n. 36, de *Pœnit.* dist. 7; Covarruvias in c. *Cum esses*, n. 7, de *Testament.*; Suarez, Vasquez, et plures alios. Idemque tenet Ancharanus consil. 411, dum ait præsumptiones non habere locum quoad Deum, et in foro animæ. Engel. h. t. nu. 36 et seqq. ac Layman, lib. I. *Theolog. moral.* cap. xvii, n. 7 et 8. ubi idcirco hanc regulam ponit: « Forum æternum, si justum est, non repugnat foro interno conscientie, nisi propter defectum probationis, adeoque per accidens ob ignorantiam. » Et addit, quod « quando alicui in externo foro causa abjudicatur, solum propter defectum probationis, tunc pars litigans, si veritatem perspectam habet, non tenetur se in conscientia conformare sententiæ, nisi propter scandalum vitandum. »

172. *Et solvuntur rationes in oppositum aliate.* — Et conformiter dictis facilis est res-

ponsio ad rationes oppositæ sententiæ, num. 169 allatas. Nam, quia ipsæmet leges volunt, ut præsumptio cedat veritati; hinc negandum est, eas obligare, vel quidpiam disponere voluisse pro foro conscientie in casu cognitæ veritatis, cum hæc præsumptionem a parte rei falsam elidat. Et per hoc patet ad primam, et tertiam instantiam, ex legibus, ipsaque potestate legislativa depromptam.

173. *Datur quandoque contrarietas inter forum externum, et forum conscientie.* — Nec urget altera de vitanda perplexitate. Nam imprimis novum non est, ut ex defectu præsertim probationum, secundum forum externum, seu judiciale statuatur unum, et secundum forum internum, seu conscientie observetur alterum, text. clar. c. *Litteras*. 13. § *Porro*, et § *Quod si*; de *Restitut. spoliat.*, etc. *Inquisitioni*. 44. d. de *Sentent. excomm.* Quia forum externum procedit secundum allegata, et probata; forum autem conscientie inspicit ipsam veritatem, can. *Erubescant*, dist. 32, cum similibus. Et adhuc expressius habetur hæc contrarietas inter utrumque forum in can. *Quicquid*, que. 17. q. 4; ibi. « In potestate habebat episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. »

174. *Isthæc sententia negativa procedit solum secluso scandalo.* — Deinde nostra conclusio procedit solum secluso scandalo, ac proinde seclusa perplexitate, seu intricatione inter utrumque forum. Nam, quia ad præcavendum scandalum quilibet jure naturali, ac divino obligatus existit, juxta illud Salvatoris *Matth.* xviii, 7. *Væ homini illi, per quem scandalum venit*, cum similibus: nemo est, qui neget, urgente tali periculo scandali, teneri subditum exequi sententias, conformiter legibus in præsumptione fundatis judicialiter latas, a quibus non appellavit, quamvis in veritate præsumptio illa non subsistat. Alioquin enim ordinarie publicum immineret scandalum, et gravis oriri posset perturbatio reipublicæ, dum perversi quique facile tumultuarent contra judices, asserendo sese injuste condemnatos. Et hoc ad summum convincunt rationes oppositæ sententiæ, videlicet ratione scandali, adeoque per accidens obligare leges in præsumptione a parte rei hic et nunc non subsistente fundatas, etiam in foro interno, seu conscientie.

175. *Leges in præsumptione a parte rei non subsistente fundatæ nequeunt observari, etiam*

*ratione scandali, quando ex earum observantia resultat peccatum.* — Solum adde cum Fagnano d. c. *Si quis*, n. 69 et 70 de *Regularib.* et communi aliorum, etiam hoc ultimum procedere dumtaxat in legibus, seu constitutionibus ex quarum observantia, nullum resultat peccatum, seu iniquitas in foro animæ: secus si ex earum observantia resultat in foro animæ peccatum. Patet hoc imprimis ex cit. c. *Litteras de Restitut. spolia.* etc. *Inquisitioni de Sentent. excommunic.* ubi in casu matrimonii, cujus nullitas in foro externo probari nequit, in foro interno autem cuiquam est manifesta, sic expresse decisum habetur. Deinde, licet quis ad solvendum v. g. debitum, quod re ipsa non debet, aut jam semel solvit, ex præsumptionibus a parte rei falsis per judicem, secundum allegata et probata procedentem condemnatur, ac proinde ad vitandum scandalum obedire, atque solvere teneatur; non tamen vicissim potest alter illam revera indebitam solutionem scienter recipere, aut retinere: siquidem ex parte hujus resultaret peccatum injustitiæ, atque iniquitas in foro animæ. Et hoc ipsum in pluribus aliis casibus est advertendum, habeturque quid simile in c. *Debitores*, 6. de *Jurejurand.* ubi is, qui juravit se solviturum usuras, tenetur eas solvere ratione præstiti juramenti, quamvis alter ipsas bona conscientia recipere non possit, quin etiam receptas restituere cogatur.

## § VIII.

DE LEGIBUS IN FICTIONE JURIS FUNDATIS,  
EARUMQUE OBLIGATIONE.

176. *Fictio juris, quid?* — Quæritur I. Quid sit fictio juris, et quæ ejus exempla? Resp. I. *Fictio juris* est legis adversus veritatem, in re possibili, ac ex justa causa dispositio. Ita Aleciatus, lib. VI. *Parergon juris*, cap. 1. et Menochius, lib. I. de *Præsumptionibus*, quæst. 8, num. 7. Et quamvis Jason, in l. *Si is, qui pro emptore*, n. 168, ff. de *Usucap.* sex alias fictionis definitiones, a diversis auctoribus datas, recenseat, quarum aliquæ addunt ly, « ad inducendum aliquem juris effectum æquitali naturali non repugnantem: » nihilominus hæc particula abunde continetur sub ly, « in re possibili, » utpote importante possibilitatem non solum de facto, sed etiam de jure; qualem non habet effectus ille, qui æquitali naturali aliunde repugnat. Quoad re-

liqua vero omnes ejusmodi definitiones in hoc concordant, quod natura fictionis juris in eo consistat, ut esse fingatur, quod revera non est, licet esse possit, in ordine ad aliquem juris effectum ex justa causa inducendum.

177. *Exempla fictionis juris plura in Jure habentur.* — Resp. II. Exempla fictionis plura in jure passim habentur; adeo, quod Jason, loc. cit. n. 172, asserat, quod fictio reperitur consonare cum decem prædicamentis. Juvat aliqua ex ipso, et aliis, huc adducere, idque pro meliori fictionis juris intelligentia.

178. *Referuntur aliqua, quæ dantur in prædicamento Substantiæ.* — Sic in prædicamento *Substantiæ*, filii in bello, ipsaque acie amissi, per gloriam vivere intelliguntur, scilicet fictione juris; adeo, ut ad tutelæ excusationem, et alia munera vitanda, patri prosint, § 1. *Instit. de Excusation. tutor.* et l. *Bello amissi*. juncta Glossa fin. ff. eod. Et econtra tali juris fictione monachus mundo, seu civiliter mortuus dicitur, can. *Placuit communi*. 16, q. 1, ubi Glossa finalis pro regula ponit, « quod in illis casibus civilis mors æquiparatur mortui naturali, ubi hoc jure cautum reperitur. » Simile quid habetur de servo, qui vivit, et tamen reputatur pro mortuo, l. *Cum hic status*. § *Si donator*. ff. de *Donat. inter virum et uxor.* et l. *Quod attinet*. et l. *Servitutem*. ff. de *Reg. jur.*

179. *Et in prædicamento Relationis.* — Insuper in prædicamento *Relationis* monasterium habetur loco filii, idque per quamdam juris fictionem, ob favorem religionis, in ordine ad certum effectum, de quo habetur mentio in c. *Præsentia*, 8, de *Probation.* In prædicamento *Actionis*, dum miles hostem, vel judex, aut minister ejus nocentem occidit, talis non dicitur homicida: quia fictione juris, « cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu, » ut loquitur divus Augustinus, relatus in can. *Si homicidium*, 23, q. 5. In prædicamento *Passionis*, captus ab hostibus, et reversus quoad jura sua reputatur, ac si captus ab hostibus non fuisset, l. *Postliminii*, § 1, ff. de *Captivis, et postliminio reversis*: ubi per quamdam juris fictionem, ob commune bonum reipublicæ, sicque ex justa causa, tales pro nunquam captis reputantur.

180. *Atque in prædicamento Ubi, et Quando.* — In prædicamento *Ubi*, canonici causa infirmitatis, vel ob evidentem Ecclesiæ utilitatem absentes, fictione juris habentur pro presentibus, et percipiunt fructus, ac distributiones